

Ptolemæum non immeritò dixeris, cum desiderari quædam in Ptolemæo ex observationibus à se factis deprehendisset, & Hypotheses ab ipso constitutas quiddam absoni & contra-axiomata Mathematica peccans admittere judicasset, nec Alphonsinam supputationem cœli motibus consentaneam invenisset: Idcirco admiranda ingenij solertia hypothesebus aliter constitutis cœlestium motuum scientiam ita restauravit, ut nemo ante ipsum exactiùs de siderum motibus sit philosophatus. Quamvis enim physicis principijs quædam contraria statuatur, ut Solem in centro universi quiescere, Terram cum admittis elementis moveri circa Solem motu triplici, Octavam Sphæram consistere immotam: Tamen, quoad Mathematica axiomata, nihil absurdi admittit, quod in Ptolemæicis & usitatis Hypothesibus, si rem penitus introspicias, animadvertere licet. Hæ enim siderum motus in suis Epicyclis & Eccentricis, respectu eorundem circulorum centri, irregulares, quod absurdum est, constituunt, regularemque siderum motum per irregularitatem inconvenienter salvant. Ex his duobus artificibus Ptolemæo & Copernico, omnia illa quæ nostra ætate, in astrorum revolutionibus, perspecta & cognita habemus, constituta ac tradita sunt. Et danda erat meritò opera, ne hæc divina eorum inventa è mortalium cognitione perirent: Sed ut diligenter cognoscerentur ac illustrarentur. Et, si quæ in illis (quod in tam perplexa, ac sublimi scientia aliter fieri non potest) desiderarentur, per crebras siderum observationes, ac observationum in Hypothesium & numerorum correctione distributiones restituerentur. Quid enim hæc scientia potest esse nobilior? quid præstantius? Quæ non in terrestribus, momentaneis & fluxis rebus occupatur; sed circa æterna illa, & nulli alterationi obnoxia cœli corpora, ingeniosâ & per jucundâ contemplatione versatur: Est ubi ver æternum, ubi semper.

Principia  
Coperni-  
ca.

Adminicu-  
la conser-  
vanda &  
illustrandæ  
Astrono-  
miæ.  
Astrono-  
miæ digni-  
tas & præ-  
stantia.

*Lucidus apparet Titan, nullisq; tenebris*

B 2

*Laditur*